

Nr 27.28. fehlt!

9

DE
DIFFICULTATIBVS
CIRCA PROMOTIONEM
HAEMORRHAGIARVM NATVRALIVM
OBVIIS, EARVMQVE CAVSSIS,

PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE,
ET COMITE PALATINO CAESAREO,
FACVLTA. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ATQVE PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE I. OCTOBR. A. R. S. CLOCCCLVII.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DISSERET

AVCTOR

IOANNES FERDINANDVS TSCHEPE

WRATISLAVIENSIS.

HALAE
LITTERIS FRANCKIANIS.

DE

DIEFICULTATIBVS

CIRCA PROMOTIONEM

HAEMORRHOIDARVM NATURALIVM

OBVIIS, RARVMQVE CAUSSIS

PRAESIDIO

D. ANDREA BELLA BACHNERO

SACRI ROMANAE IMPERII NOBILIS

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS A CONSILII INTIMIS,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRAE PROFESSORIS ORDINARIO,

IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CURIOSORVM RESIDENS,

ET EO QVE FACULTATE CARRERIS,

FACVLTAETI MEDICINAE DECANO SPECIATISSIMO

PRO SE AD V. DOCTORIS

SVMMISSIOVE IN THESI PRAESENTANDA

DOCTORANDVS RITE CONSERVANDVS

D. N. DOCTOR, A. A. E. C. D. S. C. O. R. I. S.

IN ALMA REGIA FERDINANDIANA

VNIuersitate CURIET

A. V. C. T. O. R.

IOANNES FERDINANDVS TSCHEPPE

H. A. V. A. E.

LITTE. P. R. A. E. S. I. D. I. O.

REVERENDISSIMO AC GENEROSISSIMO
DOMINO
DN. CHRISTOPHORO IOSEPHO
HELLMANN,

SACRI ORDINIS EQVESTRIS, DOMINORVM DE SANCTA CRUCE CVM
STELLA RVBRA, PER POL ONIAM ET SILESIAM VISITATORI GENERALI,
COLLEGII HOSPITALIS AD SANCTVM MATTHIAM WRATISLAVIAE
SVPREMO MAGISTRO,
IBIDEMQVE PRAESVLI INFLATO,

DOMINO ET MAECENATI SVO GRATIOSISSIMO;

ITEMQVE
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO
D. MICHAELI MORGENBESSER,
REGII COLLEGII MEDICI WRATISLAVIENSIS ASSESSORI MERITISSIMO,
PRAESIDII MILITARIS MEDICO ORDINARIO ET CIVITATIS PROTO-PHYSCO,
CAESAREAEQVE ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM
COLLEGAE DIGNISSIMO,

PATRONO AC FAVTORI SVO OMNI PIETATIS
CVLTV AETERNVM DEVENERANDO,

INAVGVRALEM HANCCE DISSERTATIONEM,

○ STVDII SVI,

DE AEGRIS INPOSTERVM BENE MERENDI
SIMVLQVE SANCTISSIMI OBSEQVII AC DEMISSISSIMAE VENERATIONIS
NVNCIAM ATQVE INTERPRETEM,

CVM SINCERIS PRO PERPETVA INCOLVMITATE VOTIS
DICARE ET CONSECRARE,

SIMVLQVE INDVLGENTIAE ET PATROCINIO

TANTORVM VIRORVVM

SE SVASQVE RES SVMMA MENTIS VENERATIONE COMMENDARE

VOLVIT,

EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

D. MICHAELI MORGENBESSER,
REGII COLLEGI MEDICI WRATISLAVENSIS ASSLTORI MERITISSIMO,
PRAESEDII MILITANS MEDICO ORDINARIO ET CIVITATIS PRATO-PHYSICO,
CAESAREAEQVE ACADEMIAE NATVRAE HISTORIAE
COLLEGE DIGNISSIMO

PATRONO ET CVLTORE OBSERVANTISSIMVS

IOANNES FERDINANDVS TSCHEPE,



... si non illi non tam ...
 ... non tam ...
 ... dignum ...
 ... et ...
 ... ad ...
 ... et ...
 ... hinc ...



§. I.

Quotidiana edocemur experientia, corpori hu-
 mano per essentiam competere excretiones
 sanguinis, extra limites vasorum eundem ve-
 hentium, quae congruo loco, tempore, et
 decenti quantitate subsequuntur; haeque sub nomine *Haemorrhagiarum naturalium* mihi veniunt,

§. II.

Quatenus haemorrhagia est excretio, i. e. actio, fe-
 quitur ut adfit 1) vis quaedam, quae in nostro corpore con-
 ceptibilis esse debet; et illa quidem 2) sanguinem mouens,

A 2

3) ver-

4 *De Difficultatibus circa promotionem haemorrhagarum*

3) versus locum excretionis directa, et 4) sufficiens. Omnes dictae qualitates in cor et arterias quadrant, harumque partium constrictiones erunt vires haemorrhagias promouentes.

§. III.

Vis, qua motus cum omnibus reliquis functionibus corporis nostri conuenit, naturalis esse debet. E contrario autem, si motus ille non cum omnibus actionibus corporis nostri sani conuenit, vim praeternaturaliter auctam aut imminutam esse iudicamus. Diuiditur hinc iure meritoque in *naturalem* et in *praeternaturalem*. *Naturalis vis* vix sufficiens est ad haemorrhagarum promotionem, nisi ad minimum resistentia vasorum et fluidi notabiliter sit imminuta, quod ita praecedente, hinc dilatatione et apertione maiore subsequente, obtinetur. *Praeternaturalis autem vis* vel imminuta, vel aucta erit. Priorem nequaquam ad haemorrhagias concitandas sufficere, facile colligitur; ergo, vt posterior tantum hic locum inueniat, sequitur. *Vis praeternaturaliter aucta* redditur vel *ex morbo*, vel *a medicamentis*. *Ex morbo* fit, si massae sanguineae partes sic dictae constitutivae in proportione incongrua sunt commixtae, ita vt partes igneae vel sulphureae maiori in quantitate praesto sint, sicque maiorem vim, impetum, turgescentiam, atque rarefactionem sanguinis producant. *Medicamentis* vero, si deficiens sanguinis excretio restitui debet, tunc vis illa per commouentia et massam sanguinis resoluentia

tia

tia augetur. Resolutione obtenta, fluidum mouens maiorem exferet actionem in vafa illud vehentia; et quoniam maior actio sine reactione non contingit, hinc celerior motus et maior vis ope medicamentorum obtinetur.

§. IV.

Alterum haemorrhagiarum requisitum est *apertio praeternaturalis*, quum talis in statu naturali nunquam adfit et nulli sanguis continuo excernatur; haec ergo antea inducenda. Immo quia hic plus adfluit, quam naturaliter alias per vafa tranfit, fequitur hinc vt adfluxus fanguinis in haemorrhagiis fit auetior. Vtrumque vnice tantum aueta vi mouente cordis obtinetur, et refiftentia eo in loco, vbi apertio dein fequitur, maiore, dum fanguis, qua fluidum preffum, fortius in latera vaforum coarctatorum agit, eaque dilatat, donec tandem vi ex iisdem erumpat.

§. V.

Eruptio talis fanguinis diuerfimode, ratione fpecierum aperturae, fieri potest. Apertura enim fit, vel *diaerefi*, vel *diapidefi*, vel *anaftomofi*. Breuiffimis ferutabimur triplicia haecce apertionum genera. *Diaerefi* dicitur, vbi fluidum ex vafe erofio effluit; ergo acre quoddam adefle debet, quod vna cum fluidis aduehitur ac, antequam erofionem perficere potest, antea ftagnat, vt ex adhaefione actio eo fortior evadat. Ra-

6 De Difficultatibus circa promotionem haemorrhagarum

ro admodum, immo vix unquam, hic modus in haemorrhagiis naturalibus occurrit. Porro, quod secundam apertionis speciem attinet, communi loquendi usu *diapidesis* salutatur. Sanguis, qua pressus, in vase retentus, continuat vim suam prementem; cum vero cohaesio partium solidarum adhuc notabilis superfit, hinc sanguis saltem per ostiola distenta et dilatata transfudat, et sic haemorrhagia contingit. Tertiam apertionis speciem constituit nobis *anastomosis*. Duplici respectu haec consideratur, vel *anatomice*, siue naturaliter, vel *pathologicae*, seu praeternaturaliter. Mutua ac immediata ramificationum arteriosarum et venosarum connexio et quasi inosculationio vocatur *anastomosis anatomica*. Orificii autem vel extremitatis vasculi arteriosi aut venosi ultra tonum suum dilatatio et apertio *pathologica* vel *praeternaturalis anastomosis* vocari solet. Haec ergo sine laesione vasorum notabiliore succedit, ac non nisi aliquatenus vim auctam pro dilatatione requirit, et facta excretionem, remotoque sic sanguine abundante, cessabit causa dilatans, hinc vis vasorum sese contrahendi maior iam erit resistentia, seu pressione fluidi. Ergo sponte iterum vasa sese contrahent, sicque facili negotio in pristinum restituuntur statum. Hic itaque modus in haemorrhagiis naturalibus absque periculo graui recurrere et reperere potest.

§. VI.

Hiscæ fundamentis præmissis, considerandum erit, quaenam requirantur ad hæmorrhagiarum promotionem. Hæmorrhagia est excretio; ergo actio; hinc requirit vim. Si est excretio, necesse erit, vt extra limites vasis vehentis fiat; hinc in respectu ad vasa requiritur vt apertura adsit, ex qua sanguis prodire queat. Apertura fit a maiori adfluxu, vt vi maiore. Omnis itaque in genere hæmorrhagia requirit vel vim absolute auctam, vel saltem relatiue, i. e. resistentiam imminutam, ac denique adfluxum celeriores et largiores tempore excretionis. Status ergo præternaturalis sub omnibus hæmorrhagiis, quatenus sunt actiones vel symptomata, proprie consistit in apertione, hoc est impotentia decenter retinendi ea, quæ transmitti debebant.

§. VII.

In negata ergo excretionem sanguinis negandæ erunt causæ. Hinc per superius dicta vel deerit vis sufficiens, vel aucta erit resistentia partium, vel aliquot harum, vel plurium simul. Status ille, in quo actiones corporis nostri non rite succedunt, vocatur *præternaturalis*. Vis deficiens vero ortum trahit ab illa retenta quantitate, quæ alias in statu naturali euacuanda erat; quantitas vero aucta requirit maius spatium. Vasa hinc vehentia a quantitate superflua tenduntur, et quia
vltra

8 *De Difficultatibus circa promotionem haemorrhagiarum*

ultra gradum toni sui naturalem tenduntur, nullo modo reactio vasorum subsequi potest, quae tamen ad vim auctam necessario requirebatur. Ruptura quidem haud sequitur, quia aequalis tensio hoc in casu locum habet, et sic, praesentibus hisce circumstantiis, sanguinis excretio suspenditur. Status talis vel manet, vel ope Medici emendatur. Status si manet, in lethalem euentum degenerare potest. Sanguis, quantitate abundans, alias in statu sano magis versus superiora, quam inferiora vergit, vasaque ibidem distendit; quando vero moles sanguinis in tantum est aucta, tunc necessario etiam versus superiora copiosius mouebitur. Vasa vero superiorum partium, vti omnibus constat, facile disrumpi possunt, adeoque, praeter alia periculosa symptomata, etiam haemorrhagiae lethales subsequi possunt. Quodsi vero status ille ope Medici emendatur, saepius tamen eidem magnam figit crucem, prout ex antecedentibus patet. Haemorrhagiae porro requirunt resistentiam minorem (§. VI.), qui status itidem praeternaturalis est, quum aliqualem saltem debilitatem requirat, quae facillime in Cachexiam e. gr. uterinam degenerat. Non minus etiam inde stases ac retentiones humorum circa has partes debilitatas eueniunt, quae in corruptionem demum transeuntes, inflammationes, erosiones, et ulcera mali moris producent.

§. VIII.

§. VIII.

Facile igitur perspiciendum exinde erit, quod promotio haemorrhagiarum naturalium minime res leuis sit momenti, si praecipue superius dicta ad regulas therapeuticas adplicare intendimus. Cautissime sane hic cum medicamentis, quae pro hoc scopo commendantur, procedendum est, si effectus speratus obtineri debet, quum facillime alias in excessum ruere queant indiscretim ita promotae haemorrhagiae: pro arbitrio enim Medici medicamentorum effectus determinari ubiuis haud posse, abunde per experientiam constat. Studiose hinc, immo attente, tam experientia medica et chemica, quam ipsa sana ratio simul in consilium vocandae veniunt circa effectum medicamentorum. Inde factum est, ut in Medicina practica tot cautelae et regulae, tamque varia contra-indicantia commendari debuerint, quae probe semper observanda sunt, si desideratum utilem a medicamentis obtinere intendimus effectum. Morbum enim dum incognito, vel nimis actiuo sanare intendimus remedio, sane summa semper opus est circumspectione, ne nouum et maius forsan periculum corpori inferatur. Hinc speciatim quoque tot calamitates, totque difficultates circa menstrui fluxus promotionem emergunt, quas idcirco, dum sub iisdem plerumque mala ex eius suppressione oborta magis magisque inualescunt et grauiora redduntur, pro virium tenuium conditione exactius lustrare et explanare allaborabo.

B

§. IX.

§. IX.

Medicamenta ordinaria, quæ ad obtinendam hæmorrhagarum promotionem commendantur, sunt, vel *impetum augentia*, vel *resistentiam imminuentia* (§. VI.). Posteriora horum, tonum nempe naturalem moderantia, sunt præcipue *externa*, quæ pro diuersa adplicationis methodo diuersis quoque denominationibus gaudent. Talia autem medicamenta externe adplicata, quæ interdum specificorum emmenagogorum vices gerere, illorumque in locum surrogari, vel iisdem etiam iungi possunt, agunt vel immediate, uti balnea, infusus, pediluua, fots, clysteres, etc. vel mediate, uti fricitiones et venaesectio. Omnia autem hæc relaxando vasa agunt, hinc adfluxus sanguinis maior versus uterum concitatur eiusque ope simul promouetur fluxus. Interim fatendum tamen utique est, eadem hæc externa relaxantia, optima alias in suo genere, aequè frequenter Medicum effectu exoptato destituere, sicuti ab internis fieri solet medicamentis, immo quandoque etiam ipsa actione sua euadere noxia, si nempe indiscretim, aut absque debita in usum vocantur circumspèctione, aut si congrua interna, specialioribus causis, simul concurrentibus, tollendis apta et appropriata non coniunguntur remedia, operationem illorum, utpote non nisi generalem, vel adiuuantia, vel moderantia et conuenienter dirigentia, ac impedimenta qualiacunque, quæ eandem retardare possunt, debite removentia.

§. X.

§. X.

Alteram classem remediorum, haemorrhagias suppressas reuocantium et promotuentium, constituunt *impetum augmentia*. Quibus vero modis fluidorum progressus acceleretur et augeatur, ex therapeuticis luculentius iam iam constat, nempe potissimum resoluentibus et sanguinem attenuantibus. Obtinetur autem resolutio spissiorum, et hinc tardius ac debilius progredientium humorum, potissimum sublata cohaesione particularum mixtionem illorum ordinariam ingredientium, et liberatione aëris iisdem immixti magisque haerentius condensati. Effectus exinde ordinarie eueniens est rarefactio, sub qua, dum vasa magis expanduntur visque illorum systaltica augetur, utique insimul motus sanguinis progressiuus magis acceleratur, et hinc quoque maior caloris naturalis gradus producitur. Licet autem sub tali resolutorio actu celerius non solum sanguis per omnes corporis partes moueatur, sed maiori etiam cum impetu ad illa loca deferatur, ex quibus salutare contingere possunt haemorrhagiae; minime tamen idcirco optatus semper obtinetur effectus, quin potius ob vniuersalem orgasmum, tali ratione concitatum, saepissime non solum congestiones et regurgitationes sanguinis ad caput et pectus satis impetuosae concitantur, quae grauioribus aliis exinde emergentibus adfectibus, veluti cephalalgis, vertigini, ophthalmiis, cordis palpitationibus, asthmaticis oppletionibus, aliisque fonticis incommodis

12 *De Difficultatibus circa promotionem haemorrhagarum*

viam sternunt; sed insuper quoque vel irregulares spasmodici motus hinc inde in externis pariter ac internis partibus provocantur, vel stagnationes et stases subsequuntur, et exinde fundamenta graviorum infarctuum et obstructionum in variis visceribus successiue ponuntur, quae tandem variorum rebellium et chronicorum morborum causae euadunt.

§. XI.

Ex hisce saltem generalioribus praemissis luculenter iam iam constare arbitror, quanta & quam varia sint illa impedimenta, maxime optatum et ceteroquin summe salutarem effectum remediorum, haemorrhagias naturales promouentium, plerumque retardantia. Ut autem paulo exactius et specialius proposito meo satisfaciam scopo, ipsae illae nunc seorsim considerandae erunt haemorrhagiae naturales, ita quidem, ut partim *incommoda* varia, satis saepe fontica, ex illarum suppressione oriunda, et exinde fluentem *necessitatem promotionis* illarum, demonstremus; partim vero etiam *difficultates*, in assequendo hocce scopo plerumque occurrentes, et usum remediorum, promouendis et restituendis salutaribus hisce excretionibus destinatum, concomitantes, paucis exponamus, cumque iam abunde notum sit, quod non nisi quatuor species sub *naturalium haemorrhagarum* titulo comprehendantur, sanguinis nempe excretio spontanea per *nares*, itemque per *menstruum*, *lochiorum* et *haemorrhoidalem*

lem fluxum; hinc etiam in earum specialiori confideratione, fecundum adducta illa momenta, vnice erimus occupati.

§. XII.

De *narium haemorrhagia* inter omnes, ipfos etiam plebeios, conftat, quod illa, moderate et proportionate fuccedens, non tantum infignem vniuerfo corpori alacritatem adferat, illud ab artuum grauitate aliisque moleftiis, ante eius eruptionem in plethoricis praecipue praefentibus, liberando; fed etiam fi *critice*, in febris praecipue fynochis, largiori in copia fuccedat, faluberrime easdem foluat, cum vniuerfali fubfequente euphoria. Facile ergo exinde colligi potef, quanta ex eius fuppreffione, per incongrua remedia aliaque artificia temere inducta, aut naturali, per aetatis rationem fubfequente, fpontanea emanfione ac ceffatione, metuenda fint damna. Confiftunt enim haec partim in congeftionibus et reftriktionibus fanguinis verfus caput, quas plerumque dein excipere folent adfectus varii cephalalgici, ophthalmiae, otalgiae et odontalgiae, eryfipelata faciei, parotidum obftu- ctiones, anginae, et inflammatorii vuulae ac tonfillarum tumores; partim etiam in fanguinis translationibus verfus pectus, quas ordinarie dein fequuntur frequentes cordis palpitationes, athmata graua, maxime ficca, quin ipfi etiam catarrhi fuffocativi, haemoptifis, phthifis, et pleurae ac pulmonum inflammationes; immo faepius etiam tali huius haemorrhagiae

giae suppressioni vel emanfioni succedunt in artubus varii affectus rheumatico - arthritici, praecipue in illis subiectis, vbi haereditaria quaedam subest dispositio. Sic etiam si *criticae narium haemorrhagiae* in febribus sanguineis, vel ob vanum illum nimii excessus metum inconsiderate cohibentur ac suppressuntur, vel iusto parcius succedunt aut praemature subsistunt, grauissima communiter superueniunt deliria, praecipue phrenitica, aliarumque internarum partium inflammationes, itemque lentae et haecticae febres, saepius, ob viscerum coniunctas obstructions, funestum plane euentum inferentes.

§. XIII.

Quaquam autem perspectu utique facillimum sit, quod singula ista mala, ex suppressione huius haemorrhagiae emergentia, tempestiua eius reuocatione tam praecaueri, quam felici cum successu tolli queant, merito tamen quam maxime dolendum est, quod talibus haud instructi simus praesidiis, quorum ope scopum huncce salutarem ex voto attingere possemus. Licet enim hunc in finem vel *scarificatio narium*, Aegyptiis olim Medicis maxime familiaris, vel *infrusio paulo fortior vnus vel plurium culmorum stramineorum* in nares, vel *irritatio et titillatio narium* cum penna asferina asperiore, vel denique *errhinorum et ptarmicorum usus*, commendari soleant; multae tamen horum adminiculorum adplicationem comitantur difficultates, dum nimirum modus praedi-

etiam

Etam fcarificationem conuenienter adminiftrandi ipfaque inftrumenti, ad hanc operationem destinati, conditio nos adhuc latet; et licet etiam recentioribus noftris temporibus celeberrimi quidam et in chirurgica arte exercitatiffimi Viri, coelitibus iam iam adfcripti, PLATNERVS nempe et BASSIVS nofter, defectum iftum refarcire adnifi fuerint, noui cuiusdam inftrumenti ingeniofa excogitatione, faepius tamen, deficiente perito artifice, in huius operationis adminiftratione debire verfato, eadem omitti debet, aut ob aliarum cauffarum, non ita facile emendabilium, concursum, prorfus irritum cum effectu illa fufcipitur. De reliquis autem modis hancce haemorrhagiam prouocandi per fe facile patet, quod generali faltem irritatione vafculorum minimorum fanguiferorum, tunnicam nares inueftientem perreptantium, quicquam ad hunc fcopum conferre queant, directe autem apertionem illorum promouere haud valeant, adeoque actione ifta fua irritatoria facile maiorem affluxum et congefionem fanguinis tam verfus caput, quam fpeciatim ad nares concitare valeant, hacque ratione, dum magis accumulata ifta quantitas defiderata non imminuitur excretionem, fymptomatum iam praefentium vehementiam tunc potius exacerbare, quam infringere debeant, ficuti complura triffiffima exempla, tam in phreneticis, quam maniacis obferuata, quibus talia irritum non folum, fed et noxium cum effectu adhibita fuere, abunde id comprobant.

§. XIV.

Proinde etiam harum difficultatum cumulum non parum auget *diuersitas caussarum*, suppressionem haemorrhagiae narium inducentium, siquidem modo sanguinis abundantia cum spissitudine inprimis coniuncta, deficiensque eiusdem impulsus, modo solidarum partium et vasculorum elasticitas imminuta, totiusque habitus corporis laxitas, ob seroso-lymphaticorum humorum maiorem abundantiam, modo irregularis et inordinatus, vel nimium acceleratus sanguinis motus progressiuus, sub vehementiori commotione orgasmica, modo denique vasorum, sub variis spasticis motibus, admissis refrigerationibus, aut inconsiderate adhibitis adstringentibus remediis, inducta coarctatio et constrictio, grauem saepe ponunt obicem sanguini alias forte sponte erupturo; dumque distinctae hae causae sola vasculorum apertione, si quoque ea praedictis illis perpetrari posset adminiculis, nequaquam remoueri possunt, facile utique exinde colligere licet, quod nullam certam, sed potius ambiguam saltem ab iis expectare liceat utilitatem.

§. XV.

Quod ad alteram illam, foeminino sexui vnice propriam et priuatiue quasi competentem haemorrhagiam, certis temporum periodis regulariter sub statu corporis sano & naturali

naturali recurrentem, indeque *menstrui fluxus* titulo insignitam, attinet, non solum qui profligandis et auertendis tot perniciosissimorum morborum cateruis inuigilant, Medicinae antistites, sed ipsae etiam virgines et foeminae probe iam norunt, quantum emolumentum utilitatisque regularis et non interruptus illius successus, ad sanitatem ipsarum illibatam conferuandam, adferat, quantamque e contrario symptomatum partim atrociam, partim quoque mirificam variationem, eius vel qualiscunque imminutio, vel plenaria etiam suppressio, qua sanguinis onerosi atque abundantis salutaris ventilatio intercipitur, ordinarię concitet, et quantam denique crucem figat eiusdem reuocatio, omnem plane operam prorsus eludens, ut idcirco Medicorum, tunc ludibrium infirmarumque graue flagellum status iste praeternaturalis non inepte vocari queat.

§. XVI.

Comitantur enim ut plurimum vel fientem, vel proxime iam factam hanc suppressionem quamplurimi spastici et congestorii motus, circa loca imprimis utero confinia et partes cum Vena Portae coniunctas, mesenterium nempe, hepar, lienem, ventriculum, et connexa ipsi intestina sese manifestantes, successu autem temporis ad regiones quoque remotiores, maxime ad pectus et caput, quin ipsas quoque extremitates transeuntes, in quibus insimul grauitas et lassitudo



18 *De Difficultatibus circa promotionem haemorrhagarum*

insignis, angustia oppressoria valde molesta, ingensque respirandi difficultas persentiscitur. Appetitus a primo statim initio valde est imminutus, sub ulteriori autem progressu penitus prostratus deprehenditur; aut ad minimum vagus, magis ad cibos frigidos et acidos, quam calidos inclinans; excretiones singulae difficulter admodum succedunt, quod inprimis de Santoriana et aluina valet, utpote quae modo imminutae, modo penitus etiam suppressae deprehenduntur. Pari ratione variat quoque urina tam quoad consistenciam, quam quoad colorem, ita ut modo pallida, turbida et crassa, modo etiam flammea et tota pellucida adpareat; variat itidem somnus, et modo paucus vel nullus, modo vero copiosus, sed variis insomniis terrificis interruptus obseruatur. Tandem successu temporis animus pariter atque corpus, inprimis autem facies, insigniter quoque mutantur; ille enim ex alacri et maxime activo in tristem, solitudinis amantem, et ad lacrymarum copiosam profusionem admodum procliuem; haec vero ex formosa et rosea in pallidam, sublividam et tumidam transit, cum adpectu oculorum tristi, et subsequente non solum palpebrarum, sed et ventris pedumque, immo tandem totius corporis intumescencia, quam Cachexia dein pressa, ut aiunt, pede insequi solet.

§. XVII.

Proinde etiam per experientiam deprehendimus, quod plurimi sequioris sexus morbi a suppressione huius haemorrhagiae mor-

morrhagiae dependeant, aut saltem maiora exinde capiant incrementa, sicque praegressum, vel adhuc connexum huncce praeternaturalem statum multiplicibus testimoniis communiter patefaciant. Succedunt autem illi inprimis grauissima hypochondriaco-hysterica pathemata, saepius simul suffocatiua, cardialgia tam flatulenta, quam spasmodica, pertinaces intestinorum fricturae et abdominis tormina, unacum nausea, frequentibus vomendi conatibus, quin ipso demum cruento vomitu coniuncta. Pectus invadunt affectus congestorii, opletorii, stagnatorii, et inflammatorii, modo pleuritidem, praecipue spuriam, modo asthma siccum et conuulsium, modo ipsam quoque haemoptysin excitantes, aut in cephalalgias, hemicranias et vertigines admodum refractarias, vel narium haemorrhagias largiores transeuntes. Tandem in extremitatibus ac reliquo externo corporis habitu eueniunt spasmii et dolores rheumatici intensissimi, decubitus humorum modo circa pedes, modo circa abdomem et ipsam corporis peripheriam contingentes, atque vel ad inflationes oedematosas, vel tumores hydropicos, deprauationes cachecticas, inquinationes scabiosas atque vicerofas disponentes, aut pathemata grauiora conuulsiva, lipothymica, furibunda, circa consuetum huius haemorrhagiae terminum praecipue saevientia, aliaque plura pariter periculosa consecutaria simul inferentes.

§. XVIII.

Dum ergo tanta tamque numerosa mala menstrui fluxus suppressionem comitantur et excipiunt, facili inde colligi potest negotio, quanta sit necessitas de tempestiva eius restitutione cogitandi, quantaque utilitas ab eadem, si perficeret impetrari queat, omnino sit expectanda. Dolendum autem hic pariter quam maxime est, quod nobis certa et efficacia eiusmodi haud suppetant praesidia, quibuscum semper et quotiescunque e re est, cum certo successu, hancce sanguineam excretionem promouere et provocare, sicque graues tales aegritudines et praescindere, et expugnare possimus. Ut enim iam de illis nil dicam remediis, quae indirecte ad restituendum hunc fluxum aliquo modo conferre possunt, impedimenta illum cohibentia auferendo, utpote quae strictiori significatu *emmenagoga* dici haud possunt; ad ea saltem animum advertere placet, quae alias *specificae* aut *positivae emmenagoga*, vel etiam *pellentia* vocantur, quoniam directe huic fluxui promouendo adpropriata esse censentur. Hunc autem in censum ex vniuersa penu tam simplicium, quam compositorum remedium, ea potissimum referuntur, quae vel *resoluenso humorum*, vel vasorum motum systalticum excitando; adeoque eadem *irritando et stimulando* agunt. Quum vero non nisi vnica suppressionis istius causa, sanguinis nempe dyscrasia viscida et vasorum nimia laxitas seu atonia, quae sub incipiente cachectico potissimum statu praesto est, provido talium remedio-

mediorum usu tolli possit; aliae autem caussae, excretionem istam remorantes, veluti spastici varii motus, commotiones sanguinis irregulares et orgasmicae, quantitas illius vel iusto maior, vires partium impetum facientium superans, vel nimium imminuta ac deficiens, infarctus et tumores uteri praeternaturales, etc. illis minime remoueri possint, sed potius augeantur, eoque ipso insimul reliqui illi noxii effectus, superiorum iam (§. X.) commemorati, inducantur; liquido hinc adparet, quod harum satis grauium *difficultatum* intuitu perquam restrictus, saepiusque admodum ambiguus et dubius maneat talium emmenagogorum effectus.

§. XIX.

Quae porro puerperis primis statim post partum diebus solennis est sanguinea excretio, *Lochiorum* nomine communiter salutata, de eius et salubritate et vtilitate experientia optimum iam agit praeconeum, pluribus demonstrans exemplis, quod foeminae antea valetudinariae, continuisque fere morbidis insultibus defatigatae, inprimis autem molestissimis variis ataxiis circa negotium mensium antea obnoxiae, superatis feliciter gestationis incommodis partusque doloribus, si debite, sufficienter ac conuenienter postmodum successerit et continuauerit hic fluxus, plerumque vnicum expurgatis tam copiosioribus vtilibus, quam inutilibus ex utero humoribus, ab illis incommodis, satis licet fonticis, vnico quasi tali actu fuerint

rint liberatae. Non minus quoque salubritatem istam confirmant et demonstrant argumenta illa notissima a contrario desumpta, videlicet grauiissima incommoda et periculosissima congestaria, imminutam aut plenarie suppressam illam cito saepius excipientia, insolita nimirum abdominis intumescencia et durities, molestis statim doloribus spasticis et lancinantibus, aut grauatiuis et tensiuis, circa lumbos et inguina potissimum sese manifestantibus, stipata, quos dein ardor admodum sensibilis in abdomine et summa praecordiorum anxietas, cum difficili respiratione, plenariam fere suffocationem inferente, excipiunt, superuenientibus tandem febribus acutis, vel inflammatoriis, vel exanthematicis, intensissimas cephalalgias simul inducentibus, et lethali non raro exitu totam hanc scenam claudentibus.

§. XX.

Patet ergo hac ratione satis sufficienter *necessitas*, deficientem hanc sanguineam excretionem tempestiue et quantocyus restituendi ac promouendi; sed patebunt etiam *difficultates* illae haud exiguae, intentionis huius executionem retardantes, si modo ad ea respicimus, quae iam antea (§. XVIII.) circa suppressi menstrui fluxus restitutionem, per sic dicta *emmenagoga directa* raro ex voto obtinendam, saepius vero maxime fonticam, monuimus. Dum enim eadem haec remedia usitato more etiam ad Lochiorum fluxum promouendum com-

men-

mendantur et adhibentur, eius autem suppressio ut plurimum
similes cum mensum suppressione agnoscit causas; hinc mi-
rum haud videbitur, si ex promiscuo inprimis et inconsidera-
to illorum remediorum usu itidem noxii sub hoc quoque sta-
tu emergant effectus, eundemque Medicis prudentioribus,
de certitudine huius periculi sufficienter iam per experientiam
edoctis, admodum suspectum reddant, ut idcirco etiam non ni-
si mitissimis, magis indirecte agentibus et impedimenta saltem
remouentibus, quam actiuioribus et impetuosius operantibus
talibus adminiculis, restitutionem ac promotionem huius ex-
cretionis moliri malint.

§. XXI.

Haemorrhoidalis denique *fluxus* salubritas licet non
aeque directa ac vniuersalis sit, ut ad eius promotionem, prae-
sentibus etiam moliminibus, positue cum securitate respicere
queat Medicus, dum saepius symptomatice et quasi passiuè de-
mum prorumpit, plusque incommodi, quam emolumenti in-
fert; interdum tamen circumstantiae quaedam eius promotio-
nem et restitutionem vrgere omnino videntur, quando nimi-
rum antea aduetus, regularemque, cum subiectorum eupho-
ria, seruans successum, vel sponte emanet, vel a variis caus-
sis antecedentibus turbatur et suppressitur: Tunc enim gravis-
sima, satis interdum repente superuenientia, incommoda,
motus inprimis varii spastici et acutissima illa tormina colica,
periculo-

periculosam intestinorum inflammationem minitantiā, vel alia etiam lente succedentia et inualescentia chronica mala, quorum omnium fusiolem catalogum exhibet b. ALBERTI in Disseratat. de *Haemorrhoidibus suppressis*, §. VIII-XIV. omnino postulant deficientis huius excretionis reuocationem; ipsae autem illae *difficultates*, quae vulgatiorem huic scopo plerumque destinatorum remediorum, veluti aloëticorum, helleboratorum, succinatorum, variorumque purgantium aut vomitilium usum comitantur, merito ab illo prouisos arcent deterrētque Medicos, dum plerumque aut vniuersales concitant massae sanguineae commotiones orgasticas, aut particulares exferunt stimulos et irritationes in recto maxime intestino, dolorum forte iam praesentium ferociam exacerbantes et in grauius adhuc periculum aegrotos praecipitantes. His ita pro ingenii modulo, temporisque exigui ratione breuiter expositis, nulla ratione securius has *difficultates* euitari posse existimo, quam, si *positiuis haemorrhagiarum promouentibus remedijs* semper praeferantur *indirecte talia*, seu *impedimenta remouentia*, hisque illa non nisi urgente demum necessitate prouide subiangatur; hac enim ratione optime et securissime desideratus tandem impetrabitur

F I N I S.



CLA-

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
IOANNI FERDINANDO TSCHÉPE
DOCTORANDO DIGNISSIMO

S. P. D.

C. F. IAMPERT

PHIL. ET MED. D.

Ter grata terque optata mihi iam contingit occasio animum
meum publice TIBI testificandi. Maxima sane cum tacticia
hucusque vidi scientiarum thesauros, tum aliarum, tum et
nearum ope instructionum quotidie noua apud TE incrementa sum-
sisse. Peruorem TVVM sat cognoui, iam in addiscendis ac per-
ferendis dogmatibus artis nostrae salutaris, quam etiam exer-
cendis, dum, nullis tempestatum iniuriis detentus, indefesso studio
aegrotos liberrime visitasti, eorumque salutem hic iam felici sat
conamine promouisti. Tot egregia TIBI largita dona me dudum
iam TIBI totum deditum reddiderunt, cumque iam in eo sis, ut,
laurea Doctorali condecoratus, patrios repetere cupias lares, ulti-
mum hoc ac maxime ponderosum momentum sine publica animi pro-
pensi mei testificatione praetermittere nolui, optans, velit D. T. O.
M. porro ulterius studiis ac conaminibus TVIS fauere, ac praeser-
tim, sanationes aegrotantium a TE suscipiendae feliciter ut ueniant,
efficere. Ceterum rogo persuasur sis, me nunquam ullo in officio-
rum genere TIBI defuturum; me contra TVO amori ulterius com-
mendatum serua. Vale. Dabam e musaeo, d. XXIX. Septemb.
MDCCLVII.

D

PRAE

PRAENOBILISSIMO
SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM
CANDIDATO
AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

C. G. TIMMERMANN

VRATISL. SIL.

MEDICINAE DOCTORAND. OPPONENS.

Non sine maximo cum delectamento eoque lubentius dissentientis. abs TE mihi demandatam in me suscepi provinciam, quo artius fuit amicitiae, nostrae, per plures abhinc annos ad hunc usque diem inter nos vigentis vinculum, et quo certior etiam esse potui fore, et pro TVA egregie acquisita eruditione notitiaque rerum medicarum, mihi cunctisque qui TE norunt satis nota, publice TIBI proferenda argumenta solide discutias. Quare cum in praesentiarum omnia maxima cum veneratione peragantur, quae ad ista spectant solemnia, ne ulterius in laudes TVAS excurram, admodum promeritas, nihil adhuc mihi restat, quam ut TIBI, CANDIDATE DIGNISSIME, de hocce dexteritatis TVAE abs TE egregie elaborato specimine ex animo gratuler. Gratulor TIBI, vereque gratulor de HONORIBVS DOCTORALIBVS a GRATIOSO MEDICORVM ORDINE TIBI decretis, nihilque magis in votis habeo, quam ut ista honorum acquisitione TVI in ornamentum, multorumque aegrotantium cedat salutem. Quod reliquum est, ut me in posterum eadem, quae hactenus inter nos fuit, prosequaris amicitia, meique semper conferes memoriam, maiorem in modum abs TE mihi expeto. Vale, resque tuas feliciter age. Dabam Halae Magdeb. die XXIX. Septembris MDCCLVII.

Ein

Ein Traum, der zärtlichste, den ich wohl je empfunden,
Entdeckte mir schon längst bey süßen Morgen-Stunden,
In schlummernden Gefühl, Dein heut'g Ehren-Fest
Das Vorsicht und Verdienst Dich glücklich seyren läßt.

Ich will die Kürze nur, und wenig Worte wählen,
Desselben Inhalt Dir umständlich zu erzählen.

Des Menschen bester Freund, der Schlaf, in dessen Schooß
Mein müder Glieder-Bau die sanfte Ruh genöß,
Lag noch auf Stirn und Haupt und hüllte sein Gefieder,
Bey grauer Dämmerung, um die gestreckten Glieder.

Ein glänzendes Gesicht, wie man Apollen mahlt,
Mit jugendlichen Reiz und göttlicher Gestalt,

Kam mir im Traume vor auf grünenden Gefilden,
Die den Parnass umziehen und seine Hügel bilden.
Hier wars: Hier sah ich Dich in einen Tempel gehn
Und mitten in dem Chor vor allen Musen stehn;

Hier untersuchte man, hier prüfte man Dein Wissen,
Und fällt' keinen Spruch nach abgeschmackten Schlüssen.

Der Tadel wurde blaß; ihm sunck die dürr' Hand,
Indem er Deinen Ruhm, mein Tscheppe, ächt besand,
Und Meditrine sprach mit lächelnd heit'rer Miene;
Mein Beyfall bleibet ihm, daß er den Cranz verdiene.

Die Göttin hub sich auf mit rauschendem Gewand;
Ein Bliz fuhr durch die Luft: und mein Gesicht verschwand.

Ich füge nichts mehr bey als die gerechten Triebe,
Mit was vor Leidenschaft Dich meine Seele liebe.
Das Glück begleite Dich, wenn Du den Kranken heilst
Und mit geschwinden Fuß zu seiner Rettung eilst.

Zufrieden sey Dein Herz! Leb wohl! Die Freundschaft klagt,
Daß mir Dein Scheiden nun den Abschieds-Ruß ansagt.

Erinnern Sie sich bey diesen Empfindungen der Freundschaft desje-
nigen, der sich mit wahrer Ergebenheit allezeit nennen wird

Dero

bereitwilligster Freund und Diener,

Joh. Andr. Billh. Bächner. d. A. G. B.
Opponent.

Der Lorbeerkrantz ist nun gewunden,
Der Deine Scheitel crönen soll,
Nun folgen die vergnügten Stunden,
Da Dich Hygea freudenvoll
In ihren Ehrentempel führet,
Und Dich mit ihren Purpur zieret.
So nimm, Geheurer Freund, die höchste Würde an,
Die sie für Deinen Dienst Dir geben will und kan.

So steigt billig Ruhm und Zierde
Nach rühmlichst angewandtem Fleis,
Wenn man aus reger Lehrbegierde
Bey manchem Wachen, Müß und Schweiß,
Sich nur in Wissenschaften übet,
Gelehrsamkeit und Weisheit liebet,
In Schriften eifrig liest, den Kern der Lehren hört,
Zur Uebung sich bequemt, und manches Glück erfährt.

Glück zu demnach zur neuen Ehre,
Freund, welche Du schon längst verdienst!
O! daß ich doch vermögend wäre,
Dein Lob, woran Du stets gegrünt,
Und Dein Verdienst in würdigen Bildern
Als Augenzeuge abzuschildern!
Doch nein! dis brauchst Du nicht. Gnuß ist's zu Deinem Ruhm:
Fleiß, Tugend und Vernunft stehn Dir zum Eigenthum.

Erlaub

Erlaub indeß bey Deiner Freude,
Daß meine unverfälschte Treu
Sich mit an der Erhöhung weide,
Und bis mein kurzer Glückwunsch sey:
Es müsse Ruhm und Wohlergehen
Bey Deinen Curen sich erhöhen,
Bleib Medicinens Schmuck, Dein Glanz vergrößre sich,
Zeuch hin, es wartet schon Dein Vaterland auf Dich.

Hiermit wolte dem Hochgeehrtesten Herrn DOCTORANDO zur
wohlverdienten höchsten Würde in der Arzneygelahrtheit aufzeich-
tigst gratuliren und sich zum beständigen Andenken empfehlen

Dessen verbundenster,

J. C. B.

~~~~~

Der Wechsel herrscht in allen Sachen,  
Das, was uns heute wiederfährt,  
Wird morgen auf einmal verkehrt  
Und läßt uns oft Calender machen.  
Ein kleiner Umstand darf nur kommen,  
So sinkt der Bau der süßen Hofnung, die uns vorher hat eingenommen.

Dis kan ich iezo auf mich deuten:  
Es eilt von mir mein heitres Glück  
Und gönnt mir schon den letzten Blick,  
Geliebter Freund! bei Deinem Scheiden.  
Dein Raub dringt bis ins Mark der Glieder  
Und schlägt mit kläglicher Empfindung mein süßbar Herze ganz darnieder.

Du

Du nimmst aus Meditrinens Händen  
Den wohlverdienten Ehrenpreis;  
Sie, die den Werth zu prüfen weiß,  
Wird Wunsch und Hofnung auch vollenden,  
Daß Du stets wohl und glücklich heilest  
Und niemals ohne Trost und Rettung zu Deinen Patienten eilest.

So soll ich Dich auf einmal missen?  
Freund! ach wie schmerzlich thut es weh  
Daß ich Dich bald entrisßen seh,  
Und hier nicht mehr kan zärtlich küssen.  
Bleib länger = = doch es wills Dein Glück.  
Du, Freundschaft! Dir sei Er befohlen; begleite Ihn gesund zurücke.

Gottfried Benjamin Reichel

d. G. G. B.

00 A 6281

ULB Halle  
002 828 12X


3




so

Reha ✓







Farbkarte #13

B.I.G.



DE  
L T A T I B V S  
M O T I O N E M  
R V M N A T V R A L I V M  
V M Q V E C A V S S I S,

E S I D E  
T I S S I M O A T Q V E E X P E R I E N T I S S I M O  
L I A B Ü C H N E R O  
N I I M P E R I I N O B I L I,  
V M R E G I S A C O N S I L I I S I N T I M I S,  
N A T V R. P R O F E S S. P V B L. O R D I N A R I O,  
N A T V R. C V R I O S O R. P R A E S I D E,  
L A T I N O C A E S A R E O,  
D E C A N O S P E C T A T I S S I M O,

V D O C T O R I S  
H O N O R I B V S A T Q V E P R I V I L E G I I S  
R I T E C O N S E Q V E N D I S  
A. R. S. c1o 10cclvii.  
I A F R I D E R I C I A N A  
E D I S S E R E T  
C T O R  
N A N D V S T S C H E P E  
I S L A V I E N S I S.

A L A E  
F R A N C K I A N I S.